Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

P ante H

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

quod genus auſpicii perenne vocant. Amnem autem fœmininè antiqui enuntiabant. Autor Feſtus.

Petronius, πετρώνιος, Aegypti præfectus ſub Auguſto, qui Cornelio Gallo ſucceſſit. Geſſit bellum adverſus Aethiopes, quibus regina Candace imperitabat, virili quidẽ animo mulier, ſed altero capta oculo. Vide Strabonem lib. 17. ¶ Petronius Granius centurio octavæ legionis ſub Cæſare bello Gallico: qui poſteà bello Africano Quæſtor deſignatus, quũ, navis qua in provinciam vehebatur, & in Scipionis poteſtatem veniſſet, & cæteris interfectis, Quæſtori Scipio incolumitatẽ pollicereretur, reſpondit Cæſarianos aliis incolumitatem dare, non accipere conſueviſſe: quo dicto ſe gladio transverberavit. Vide Plutarchũ in Cæſare. ¶ Petronius item alius fuit, prænomine Lucius, qui quum P. Cælium à quo ex humillima ſorte ad Equeſtrem dignitatem erat evectus, precibus adductus, Placentiæ occidiſſet, ſe quoq; eadem dextra interemit. Autor Valer. lib. 4. de Amic. ¶ Petronius pater Veſpaſiani Cæſaris. ¶ Petronius Perpenna, qui Conſtantinianas thermas in priſtinum ſplendorem reſtituit. ¶ Petronius Diodorus medicus, qui ſcripſit antilegomena, citatur teſtis à Plin. libro 20. cap. 8. ¶ Petronius Poeta, cujus nonnulla de medicina verſibus conſcripta, ad noſtram ætatem pervenerunt, ut ſcribit Volater. ¶ Petronius, πετρώνιος, vir Conſularis fuit Neronis tempore, qui moriturus principis invidia ut menſam ejus exhæreditaret, trullam murrhinam CCC ſeſtertiis emptam confregit. Autor Plin. lib. 37. cap. 2.

Petuſcum palatii, dicta eſt ea regio Vrbis quã Romulus obverſam poſuit ei parti in qua plurimum erat agri Romani ad mare verſus: quia molliſſimè inde adibatur Vrbs, quum Hetruſcorum agrum à Romano Tiberis diſcluderet, cæteræ vicinæ civitates colles aliquos haberent oppoſitos. Feſtus.

Peuce, πεύκη, Parva eſt inſula in uno oſtiorũ Iſtri, quod ab illa Peuces appellatur, teſte Plin. lib. 4. ca. 12. & Lucan. lib. 12: & barbara Cone Sarmaticas ubi perdit aquas, ſparſamq; profundo Multifidi Peucem unum caput abluit Iſtri. Valer. Flac. lib. 8: Danubii viridemq; vident ante oſtia Peucen.

Peucetia, πευκετία, Peninſula eſt in finibus Italiæ, aliis nominibus Calabria & Meſſapia dicta. Autor Plin. lib. 3. cap. 5.

P ante H

Phabiranum, φαβίρανον, apud Ptolem. lib. 2. Germaniæ urbs eſt in climate Septentrionali ſita. Qui Ptolemæum poſtremò recognoverunt, ex longitudine & latitudine ſitus conjiciunt eam eſſe urbem, quam hodie vocant Bremen.

Phacion, φάκιον, Theſſaliæ oppidum, apud Thucyd. lib. 4.

Phæaces, φαίακες, Populi fuerunt Corcyræ: unde & Corcyra Phæacia dicta eſt: quæ eſt inſula in oſtio maris Adriatici. Hodie vocant *Corphu*. Scribitur cum æ diphthongo. Nominativus ſingularis eſt Phæax. Horat. lib. 1. Epiſt. Pinguis ut inde domum poſſis Phæaxq; reverti. Phæacem verò figuratè dixit pro homine nitido, ventriq; ac gulæ dedito, quales in Phæacia: hoc eſt, Corcyra eſſe ſolent: de quibus ſic ait Horat. Epiſt. lib. 1: Queis pulchrum fuit in medios dormire dies, & ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

Phæacum. Civitas eſt in Planitie Phæaciæ inſulæ, quæ ab utraq; parte habet duos editiſſimos vertices, in quibus adhuc ſunt arces.

Phæacius, a, um, φαιάκιος, & Phæacus, ca, cum, una ſyllaba minus. Propert. lib. 3: Nec mea Phæacas æquãt pomaria ſylvas.

Phædon, φαίδων, Athenienſis, in cõvivio à triginta Athenienſium tyrannis necatus fuit: cujus filiæ virgines quum adverſus quorundam vim pudicitiam alioqui illibatam ſervare nõ poſſent, invicem ſe complexæ, in puteum deſilientes necem ſibi conſciverunt. ¶ Fuit & alter hoc nomine philoſophus Elidenſis, Socratis auditor, ingenio liberali. Qui (ut quidam ſcripſerũt) ſervivit lenoni perinde quaſi meritorius puer, quæſtuariumque mancipium. Eum Cebes Socraticus emiſſe dicitur, habuiſſeq; in philoſophorum diſciplinis. Atque is poſtea Philoſophus illuſtris fuit, cujus nomini Plato librũ de Immortalitate animorum inſcripſit, qui etiam ab ejus nomine Phædon inſcribitur.

Phædra, φαίδρα, Minois Cretenſiũ regis filia fuit, & uxor Theſei, quæ amore Hippolyti privigni capta, quum ipſum adducere non potuiſſet, ut paternum thalamum conſpurcaret, apud patrem eum detulit, tanquam ſtuprum ſibi inferre voluiſſet. Reliqua vide in dictione HIPPOLYTVS.

Phædrus, φαῖδρος, Vnus ex diſcipulis Platonis, cui Plato inſcripſit librum, qui ab ejus nomine dicitur Phædrus.

Phædyma, Otranis nobilis Perſæ filia, primùm Cambyſis regis, eoq; mortuo, Smerdis Magi concubina, quæ prima deprehendit, nõ Smerdim Cyri filium, uti populus credebat, ſed Magum imperare. Qua re cõmota Perſarũ nobilitas Smerdim in regia trucidavit, Dariumq; equi hinnitu (ut inter eos convenerat) regem declaratum, in illius locum ſubſtituunt. Autor Herod. lib. 4.

Phæniana, apud Ptol. lib. 2. cap. 12. Rhetiæ urbs, alio nomine Phebiana caſtra, Vulgò hodie *Bobenhauſen*.

Phæſtum, φαιστός, Vrbs in Creta, à qua Phæſtius, φαίστιος, Epimenides dictus eſt, quem adjutorem condendis legibus Solonis fuiſſe tradit Plutarchus, inclytum vaticinio, & rerum divinarum peritia.

Phæſtus, φαιστός, Mons, ſeu promontorium Cretæ, circa Gortynam urbem, civitatem habens ejuſdem nominis. Sed nomẽ civitatis fœminini generis eſt, montis maſculini. Strabo libro 10. ¶ Phæſtus, φαιστός, fuit, teſte Homer. 5. Iliad. Bori Mæonii filius, ſive Lidii, qui quum veniſſet Trojanis auxilio, ab Idomeneo interfectus eſt.

Phaëthon, φαέθων, Ligurum rex fuit vetuſtiſſimus, cujus multæ in Hetruſco littore coloniæ fuerunt, ut Cato eſt author in Originibus. ¶ Phaëthon. [φαέθων. Germ. Ein Sohn *Solis vnd Clymenes*.] Solis filius ex Clymene: qui quũ à patre impetraſſet, ut uno die currus ſui habenas ſibi permitteret, aurigãdiq; imperitus cœlum & terrã combureret, à Iove fulmine è curru excuſſus, in Padum fluvium decidit. Dictus Phaëthon ἀπὸ τοῦ φάος: hoc eſt, à luce, & αἴθω, uro: unde & pro Sole accipitur. Virgilius 5. Aeneid. Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant.

Phaëthontiades, φαεθοντιάδες, Clymenes & Solis filiæ dicuntur, ſorores Phaëthontis, quæ dum extinctum fratrem flerẽt, converſæ ſunt in alnos arbores, ut ait Virg. 6. Aeglog. ut 10. Aeneid. in populos.

Phaëthuſa, φαέθουσα, Fuit una ex filiabus Solis ex Neæra nympha, & ſoror Lampetiæ, quæ in Sicilia, patris ſui, id eſt, Solis armenta cuſtodiebant: è quibus ſoli ſacris ſocii Vlyſſis contra Circes monita deguſtantes, naufragium fecerunt, ut lib. 12. Odyſſ. fabulatur Homerus. Ovid. 2. Metam. Phaëthuſam, & Lampetien Solis & Clymenes filias fuiſſe tradit, & ſorores Phaëthontis, quæ quum fratrẽ fulmine percuſſum ſupramodum lugerent, ad Eridani ripam in arbores cõverſæ ſunt, quæ lacrymarum loco electrum exſudant.

Phago, [φάγων. Ger. Ein Fraß. Pol. *Zarlok*.] Incredibilis edacitatis homo fuit, quem Flavius Vopiſcus in Aureliano tradit, menſæ Imperatoris adhibitũ, aprum integrum, centũ panes, vervecẽ, & porcellũ uno die ediſſe, bibiſſeq; vini orcam.

Phalantus, φάλαντος, Lacon quidam fuit, de quo hæc tradit Servius lib. 3. Aeneid. Quum olim Lacones & Athenienſes diu inter ſe bella tractarent, & quum utraq; pars affligeretur, Lacones quibus juventus deerat, præceperunt ut virgines cum quibuſcunque concuberent: quod & factum eſt. Sedatis autem bellis, juvenes incertis parentibus nati, quum & patriæ & ſibi eſſent opprobrio (nam Partheniatæ dicebantur) accepto duce Phalanto, octavo ab Hercule, patriam reliquerunt, delatiq; ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius condiderat, id auxerunt, & priſco nomine Tarentum appellaverunt. Hæc ille. Eadem ferè commemorat Acron in illud Horat. lib. 2. Carm. Ode 6: Dulce pellitis ovibus Galeſi Flumen, & regnata petãm Laconi Rura Phalanto. ¶ Hinc Phalanteus, a, um.

Phalara, φάλαρα, Civitas in ſinu Maleaco non procul à Sperchii fluminis oſtio. Plin. lib. 4. cap. 7.

Phalaris. [φάλαρις. Germ. Ein grauſammer König vnd Tyrann zu Agrigent in Sicilien.] Nomen proprium Agrigentinorum regis crudeliſſimi: qui præter cætera novorum ſuppliciorũ inſtrumenta, taurum habuit æneum, Perilli arte fabricatum, in quem immiſſi damnati igneq; ſubjecto, boris mugitum edebant: cujus muneris nomine quũ artifex non leve munus ſperaret, juſſu Tyranni in taurum cõjectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit. Ipſe quoq; Phalaris, quum nimia ejus atrocitas ulteriùs ferri non poſſet, facto in eum univerſorum civium impetu correptus, ei ipſi tauro quo alios exuſſerat, incluſus, vivus crematus eſt. Cic. lib. 2. Offic. Phalaridis præter cæteros nobilitata crudelitas, qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modò dixi, Alexander: nõ à paucis, ut hic noſter, ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Ovid. in Ibin: Vtq; ferox Phalaris lingua prius enſe reſecta, More bovis Phario clauſus in ære gemas. ¶ Eſt præterea Phalaris avis quædam ex genere amphibiorum, in Seleucia Parthorum & parte quadam minoris Aſiæ præcipuè naſcens, Varro 3. de Re ruſt. cap. 11. Sunt item non diſſimilia alia genera: ut querquedulæ, Phalarides, ſic perdices, quæ (ut Archelaus ſcribit) audita voce maris concipiunt. Apud Plinium tamen lib. 10. cap. 48. & Colum. lib. 8. cap. 15. legimus phalerides per ſecundam vocalem in antepenultima, quo pacto etiã apud Var. legendum ſuſpicamur.

Phalariſmus, mi, φαλαρισμός, Phalaridis tyrannis, vel ejus imitatio: hoc eſt, ſumma crudelitas.

Phalera, erum, φάληρα, ων, Portus Athenienſium, quinque millium paſſuũ muro urbi cõjunctus. Hinc ortus traditur Demetrius philoſophus, Phalerus à patria cognominatus. Apud

Græcos, teſte Stephano, indifferenter effertur, φάληρον λιμένος καὶ φαλήρῳ πολιστικῶς.

Phălēreus, φαληρεύς, Gentile nomen eſt à Phaleris Athenienſium portu deductum. Quo cognomento etiã dictus eſt Demetrius philoſophus, Phanoſtrati filius, & Theophraſti auditor, qui quum à Caſſandro Macedonum principe Athenis eſſet præfectus: non modò popularem non deſtruxit potentiã, ſed etiam melioribus inſtitutis reformavit. Verùm tantum invidia valuit, ut poſt Caſſandri obitum in Aegyptum fugere coactus ſit: quo tempore ejus inimici ſtatuas ejus plures necentis disjectas conflavêre. Tãdem morſu aſpidis periit, quũ multa apud Ptolemæum in calamitoſo otio ſcripſiſſet. Vide Strab. lib. 9.

Phălērium, φαλήριον, Vrbs Hetruriæ. Inde Phalerius, ria, rium, Stephan.

Phăliſci, φαλίσκοι, Populi Hetruriæ, quorum oppidum Phaleſii vocabatur. Sunt qui arbitrãtur Phaliſcos eſſe qui eam Hetruriæ partem inhabitant, ubi ſitum eſt oppidum quod hodie corrupto nomine *Montem Flaſconem* vocant, quum potiùs montem Phaliſcum dicere debeamus.

Phălŏra, φαλώρα, Vrbs Theſſaliæ. Inde Phalorenſis, φαλωρεύς, Stephan.

Phānæus, φαναῖος, *Capo maſtice*, Promontorium in Chio inſula, optimo vino nobiliſſimum. Autor Servius in illud Virg. 2. Georg. Sunt etiam Ammineæ vites firmiſſima vina, Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

Phānes, φάνης, Vir fuit Halicarnaſſeus, qui Cambyſæ Perſarũ regi adverſus Aegyptios bellum molienti, ſe ducem itineris præbuit, exercitumque ejus citra periculum per Arabiam in Aegyptum duxit. Autor Herodotus lib. 3. ¶ Phanes etiam à Græcis dicitur Sol, ἀπὸ τοῦ φαίνειν: hoc eſt, à lucendo.

Phāneſii, φανήσιοι, Populi, in inſulis Oceani Septentrionalibus, qui (ut Solinus ait) habent aures adeò effuſas, ut reliqua viſcera contegant illis.

Phāŏn, φάων, Iuvenis Lesbius fuit formoſiſſimus, à Sappho poetria perditiſſimè adamatus. Extat apud Ovid. Epiſt. Sapphus ad Phaonem.

Phăræ, φαραί, numero plurali, Vrbs eſt, teſte Plin. lib. 4. cap. 12. Cretæ mediterranea, à Meſſeniis condita.

Phărăōnes, [פרעה *parhoh.* φαραῶνες.] appellantur Aegypti reges, quod cognomẽ fuit dignitatis, ut ſcribit Euſeb. Aegyptiorum enim lingua Pharaon regem ſignificat, ut docet Ioſeph. lib. 8. Antiq. Ita quum primùm perveniebant ad Imperium, hoc nomen accipiebant.

Phăriă, Ptolemæo, Pinioq́; : Straboni verò Pharus, φάρος, Inſula contra Dalmatiam & Iaderam, quæ nunc Vulgò *Liſſa* Illyrico ſermone dicitur. ¶ Eſt & urbs in ea, à qua Pharicenſes populi.

Phariſæus, & Phariſaicus, Vide in APPEL.

Phărmăcŏtrŏphi, [φαρμακοτροφοι, Germ. Giftfreſſer ſeind Völcker in *Aſia*.] Populi ſunt Aſiæ Margianis, & Suſianis finitimi, qui venenis ali feruntur: unde & nomẽ illis inditum eſt. Meminit horum Plin. lib. 6. cap. 16, & Pomp. lib. 1.

Phărmăcūſæ, φαρμακοῦσαι, Sunt duæ inſulæ exiles juxta Atticam regionem in mari Salaminiaco, in quarũ altera (ut inquit Strab. lib. 9.) ſepulcrum Circes viſitur. Plinius ejuſdẽ nominis inſulam inter Sporadas connumerat, lib. 4. cap. 12. Hãc Stephanus ſupra Miletum collocat, & Attalum regem in ea occiſum fuiſſe aſſerit. Gentile eſt Pharmacuſius.

Phārnăcĭă, æ, φαρνακία Stephano. Regio & urbs Pontica, Trapezunti proxima. Plin. lib. 6. cap. 4 pharnacen appellat.

Phārnāx, nacis, pen. corr. φαρνάξ, Mithridatis regis filius, qui quum majore civilis belli, quod tum inter Cæſarem & Pompejum gerebatur, quam propriarum virium fiducia Cappadociam invaſiſſet, à Cæſare fulminis in morem eſt obtritus, & (ut Cæſar gloriatus fertur) antequam hoſtem vidiſſet, victus: unde etiam inter Pontici triumphi fercula, tria hæc verba, protuliſſe fertur: Veni, vidi, vici, non acta belli ſignificãtia, ſed celeriter confecti notam. Sueton. in Cæſare. Lucanus lib. 2: Tigranemq́; meum, nec Pharnacis arma relinquas Admoneo. Meminit hujus Cicero ad Caſſium, lib. 15. Epiſt. Famil. & ad Attic. lib. 11.

Phārŏs, φάρος, Olim inſula fuit, Canopico Nili oſtio objecta, dieiq́; unius navigatione (ſi Homero credimus) à cõtinente dirempta: hodie verò Alexandriæ ponte cõjuncta. Cujus mutationis cauſam quidam Nilo aſſignant, cujus oſtia magnam perpetuò limi vim ad proxima aggerunt vada. Lucan. lib. 10: Pharos inſula quõdã in medio ſtetit mari. In ea turris eſt ingens in petra poſita, quę mari circumluitur, albo lapide, octingentis talentis à Philadelpho Ptolemæo rege Soſtrati Cnidii architecti Alexandrinorum amici opera extructa: quæ & ipſa Pharos dicta eſt: in qua noctu accenſę faces navigãtium curſum regebant. ¶ A cujus ſimilitudine cæteræ quoq́; ſpeculæ ſimilem in uſum conſtructæ, Phari appellatæ ſunt. Statius: Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ. Scribit Hegeſippus lib. 4. Pharon à Græcis, Latinisq́; appellari ex ipſius rei uſu, eò quòd longè videatur à navigantibus, tanquam ἀπὸ τοῦ φανοῦ, quod lucidum ſignificat, immutata litera. Pharos dicatur. In hac Alexander novam urbem condere ſtatuit: ſed quũ magnæ ſedis capax non eſſet, ex adverſo ei objectam condidit Alexandriam. ¶ Eſt item Pharos, maris Adriatici inſula, Illyrico adjacens, antea Paros dicta, teſte Plin. lib. 3. cap. 21.

Phărĭus, a, um, φάριος, & Pharıacus, a, um, ut Siſtra Phariaca.

Pharphariades, Pars una eſt Tauri montis. Plinius libro 5, capite 27.

Pharſālĭă, φαρσαλία, Regio Theſſaliæ, Pharſalo oppido, quod ad Enipei ripam ſitum eſt, circunjacens: à quo & nomen accepit. Sunt qui univerſam Theſſaliam hoc nomine vocatam exiſtiment, à Pharſalo duce quæ primò Aemathia ab Aemathio: poſtea Theſſalia, à Theſſalo: deinde à Macedone, Macedonia eſt dicta.

Phārſālĭcus, a, um: Hinc campi Pharſalici, in quibus duorũ maximorum bellorum civilium procellæ detonuerant: primum inter Cæſarem & Pompeium: alterum inter Auguſtum & percuſſores Cæſaris Brutum & Caſſium. Hi poſtea Philippici dicti ſunt, ſive à Philippo rege, ſive à Philippis vicina urbe, quã alio nomine Thebas Theſſalicas appellant.

Phārſālŏs, ſeu Pharſalum, φάρσαλος Stephano, Theſſaliæ oppidum, in ripa Enipei fluminis ſitum, de quo Lucan. lib. 6: Aemathis æquorei regnum Pharſalos Achillis.

Pharuſii, φαρούσιοι, Plin. lib. 5. cap. 8. & Pomponio lib. 1. Populi ſunt Africæ ultra Mauritaniam. Hi quondam Perſæ fuiſſe dicuntur, comites Herculis ad Heſperidas tendentis. Pomponius quoq́; lib. 3. in fine. Deinde Pharuſii aliquando tendente ad Heſperidas Hercule dites, nunc inculti, & niſi quòd pecore aluntur, admodum inopes. Qui fabuloſa narrant, Thebano hæc Herculi tribuunt: at qui hiſtoricam veritatem proſequuntur, Aegyptio Herculi qui Lybicus cognominatus eſt, potiùs adſcribenda cenſent. Meminit horum & Strab. lib. 17. ubi de Mauris mentionem fecit. At Pharuſii, *inquit*, qui ultra hos habitant, Heſperiis Aethiopibus vicini, ſagittant quemadmodum Aethiopes: falcatis quoque curribus utuntur: miſcentur nonnunquam Mauris Pharuſii, per deſerta aquarum utres equis portantes: nonnunquam per loca quædam paluſtria & lacus Cirtham veniunt. Quidam ex eis Troglodytarũ more ſub terra habitare dicuntur, & æſtivis imbribus abundare: hyeme verò ſiccitate laborare: nonnulli ſibi ex ſerpentũ, piſciumq́; coriis, alii ex ſtramentis indumenta parare. Vide reliqua apud Strabonem loco jam citato.

Phăſēlis, φασηλίς, Pamphylię urbs in monte ſita, piratarum olim perfugium. Cic. in Verr. Act. 6: Meſſanam Siciliæ oppidũ Verri Prætori, prædoni verius & piratæ Sicilienſi Phaſelim quandam fuiſſe ait, quòd omnes furtorum acervos illuc deportaſſet: Phaſelis (*inquit*) illa quam cepit P. Servilius, nõ fuerat urbs antè Cilicum atq́; prædonũ: Lycii illam Gręci homines incolebant: ſed quòd erat ejuſmodi loco, atq́; ita provecta in altum, ut & exeuntes è Cilicia prædones ſæpè ad eam neceſſariò devenirent, & quum ex hiſce locis ſe reciperent, eòdem deferrentur, aſciverunt illud ſibi oppidum piratæ, primò cõmercio: deinde etiam ſocietate Mamertina civitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum. Mox ſubdit: Verùm hęc civitas iſti prædoni ac piratæ Siciliẽſi Phaſelis fuit. Huc omnia undiq́; deportabantur, apud iſtos relinquebantur: quod celari oportuerat, habebant ſepoſitum ac reconditum: per iſtos, quæ volebat in navem clàm imponenda, occultè exportanda curabat: navem denique maximam, quam onuſtã furtis in Italiam mitteret, apud iſtos faciendã, ædificandamq́; curavit. Hactenus Cicero.

Phāſis, is, vel idis, φᾶσις, Colchorum prægrandis fluvius, de quo Lucanus lib. 3: Colchorum qui rura facit ditiſſima Phaſis. Plin. lib. 6. cap. 4: Navigatur Phaſis quamlibet magnis navigiis XXXVIII. M. D. paſſ. Inde minoribus longo ſpatio, pontibus centum viginti pervius. Ab hoc fluvio phaſiani nomen ſumpſerunt, quòd ibi maximus eorum proventus feratur: unde etiam ab Argonautis in Græciam advecti putantur. ¶ Fuit item ejuſdem nominis oppidum, ad fluvii hujus oſtiũ ſitum, cujus meminit Plin. lib. 6. cap. 4.

Phāſĭs, adis, φασιάς, Patronymicum eſt fœmininum, à Phaſide fluvio, ſive oppido deductum, quod Poetæ pro Medea ferè uſurpant, Phaſidis alumna. Ovid. 3. de Arte: maritum Barbara per natos Phaſias ulta ſuos.

Phēgeā, pen. prod. φήγεια, Civitas Arcadiæ, à Phegeo rege, Phoronei fratre cõdita. Prius Erymanthus, poſtea & Pſephis appellata. Steph.

Phēgeus, φηγεύς, Pater fuit Alpheſibœæ, qui Alcmæona quũ juſſu patris matrem occidiſſet, & ob eam rem furiis agitaretur, purgavit, eiq́; Alpheſibœam filiam matrimonio locavit. Vide fabulam latiùs apud Ovid. 9. Metam.

Phēgor,

Phĕgŏr, φεγὼρ, Lingua Hebręa Priapus appellatur, inquit Hieronymus contra Iovinianum: unde Beel-phegor, dictio compoſita: hoc eſt, Priapi ſimulacrum.

Phēmŏnŏē, Φημονόη, Sibyllæ nomen, quæ prima Apollinis Delphici vates dicitur fuiſſe, & carmen heroicum inveniſſe, ut ait Pauſanias. Stat. lib. 4. Syl. -referetq; arcana pudicos Phemonoe fontes. ❡ Eſt & Phœbados cujuſdam nomen apud Lucanum lib. 5: Phemonoēn errare vagam, curisq; vacātem. ❡ Sunt qui Phœbi filiam dicāt fuiſſe. Meminit ejus Heſiodus in Theogonia.

Phĕnĕum, φένεον Stephano, Oppidū in Arcadia, circa quod herba naſcitur Homeri præconio celeberrima, quam à diis immortalibus Moly vocari aſſerit. Plin. lib. 25. cap. 4.

Phĕnĕus, Φενεὸς, Lacus Arcadiæ, cujus aqua nocturno tēpore pernicioſa, interdiu ſalutaris eſt. Ovid. Met. 15. Eſt lacus Arcadię, Pheneum dixēre priores. Ambiguis ſpectatus aquis: quas nocte timeto: Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

Phĕræ, arum, Φεραὶ, Vulgò *Ceramidi.* Oppidum Theſſaliæ, ad Bœbeïdem lacum, ubi Magneſia à Pelaſgicis campis dirimitur. Homer. in Catal. *Οἱ δὲ φερὰς ἐνέμοντο παραὶ βοιβηΐδα λίμνην.* ❡ Eſt item ejuſdem nominis oppidum in Achaia propriè dicta, non procul à Patris.

Phĕræus, a, um, Ovid. in Epiſt. OEnones: Ipſe repertor opis vaccas paviſſe Pheræas Fertur, *&c.*

Phĕrĕcrătēs, Φερεκράτης, Athenienſis poëta comicus, militavit ſub Alexandro magno: docuitque fabulas XLII. Autor Suidas.

Phĕrĕcȳdēs, penult. prod. φερεκύδης, Philoſophus, & Poeta tragicus, ex Scyro inſula, teſte Strab. lib. 10. Floruit regnante Servio Tullo apud Romanos. Cic. lib. 1. Tuſcul. Hic primus dixit animos hominum eſſe ſempiternos. Primus ſcripſit ſoluta oratione (ut Apuleius in Floridis autor eſt) repudiato verſuū nexu. Hunc Pythagoras magiſtrum coluit. Periit phthiriaſi: id eſt, pediculari morbo, de quo Serenus: Sed quis nō paveat Pherecydis fata tragœdi, Qui nimio ſudore fluens animalia terra Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt? Hic tametſi nullo magiſtro uſus: tamen per ſe multum eruditionis eſt cōſequutus, ut autor eſt Suidas. Quanquam Diogenes Laërt. Pittaci auditorem fuiſſe tradit. ❡ Pherecydes præterea alius fuit, teſte Laërtio, antiquior etiam ſuperiore, Athenienſis & Philoſophus, qui ab Orphæo multa didicit, ſcripſitq; Theogoniam libris decem: item libellum De rerum principio. ❡ Pherecydem alium Lerium genere, Hiſtoricum commemorat Suidas.

Phĕrēnīcē, pen. prod. φερενίκη, Nomen mulieris. Aelianus lib. 10. de varia hiſt. Duxit ad Olympicum certamen filium ſuum Pherenice fœmina, prohibentibus eam ſpectare qui præſidebant. Licere id ſibi perſuaſit, quæ patrem, & fratres treis haberet Olympionicos. Spectavit, & victorem filium reduxit.

Phīdĭās, æ, Φειδίας, Nobilis fuit ſtatuarius, qui in ebore ſcalpēdo claruit: diis tamen (ut inquit Quintilianus) quàm hominibus efficiendis melior. Inter hujus opera præcipuè cōmendata eſt Minervæ ſtatua, quam Athenis ex ebore fecit, XXVI. cubitorum altitudine: in cujus clypeo Amazonum pugnam, & Gigantomachiam inſculpſit: in ſolęis verò, Centaurorum & Lapitharum certamen. Proximam commendationem meruit Iupiter Olympius, & ipſe totus ex ebore. Cælavit & Venerem, quæ poſtea Romæ ſita in porticu Octavię fertur. Item Nemeſim Rhamnuſiam, mali ramum manu tenētem, ex quo parva ſurgebat complicatio, hanc inſcriptionē habēns: Agoracritus Parius fecit. Hūc enim Agoracritum diſcipulum uſq; adeò diligebat, ut ei tanti operis laudem crederet.

Phīdĭăcus, a, um, Φειδιακὸς, Propert. lib. 3: Phidiacus ſigno ſe Iupiter ornat eburno. Martial. lib. 6: Quis te Phidiaco formatam Iulia cœlo, Aut quis Palladiæ non putet artis opus?

Phīdippus, Φείδιππος, Herculis nepos ex Theſſalo filio, qui unà cum fratre Antipho contractis ex maris Carpathii inſulis triginta navibus, Græcis ſuppetias tulit adverſus Trojanos. Autor Homerus in Catal. navium. ❡ Eſt item Phidippus perſonæ comicæ nomen, apud Terent. in Hecyra.

Phila, æ, φίλα Stephano. Vrbs Macedoniæ, juxta Peneum fluvium, à Demetrio Gonata Antigoni filio condita, & à nomine matris ejus ita appellata. ❡ Eſt item Phila maris Gallici inſula, eregione Antipolis, cujus meminit Plin. lib. 3. cap. 5. ❡ Sunt & quatuor ejuſdem nominis inſulæ in Nilo fluvio, ſupra Deltam, quas commemorat idem Plin. lib 5. cap. 9.

Phĭlădelphīā, Φιλαδέλφεια, Nomen civitatis in Myſia, regione Aſiæ, frequentibus terræ motibus concuſſa: unde ejus incolæ in agris magna ex parte degebant. In hac fuit una ex ſeptem Eccleſiis in Apocalypſi cōmemoratis. Supra Philadelphiam, Orientem verſus exuſta regio patet, quam Græci κατακεκαυμένην appellant, ſtadiis longa quingentis, quadringentis lata, ubi nullæ arbores præter vitem inveniuntur, quę exuſtum vinum fert ita elegans ut nulli cedat. Summa camporum facies cinerulenta eſt: Montana, petroſa & nigra. Quidā ex crebro fulminum ictu id contigiſſe arbitrantur, nec dubitant quæ de Typhone dicuntur, hoc in loco fabulari. Sed credibilius eſt ſubterraneum ignem, qui poſtea defecerit, regionem cuſſiſſe. Dicta eſt urbs Philadelphia ab Attalo Philadelpho conditore.

Phĭlădelphus, φιλάδελφος, Ptolemæi regis Aegypti cognomen, qui bibliothecam Alexandriæ, ferè quinquaginta millia librorum continentem, extruxit. Idem libros Moſis vertendos curavit per LXX. interpretes ex Hebræo in Græcum ſermonem.

Phĭlæ, arum, φίλαι, Inſula aſpera, & undique prærupta, adjacens Aegypto, duobus in unum coituris amnibus cincta, qui Nilo mutantur, & ejus nomen ferunt. Sunt autem Philæ Straboni libro decimoſeptimo, infra Syenen, ad quas ipſe ſe ex Syene plauſtro per plana aliquando vectum ſcribit. Meminit & Lucanus libro 10: Rurſus multifidas revocat piger alveus undas, Quā dirimunt Arabum populis Aegyptia rura, Regni clauſtra Philæ.

Phĭlænōrum aræ, φιλαίνων βωμοὶ, Dicuntur quæ Siculo Peloro oppoſitę, in media quodammodo Syrtium tellure poſitæ ſunt: ita dictæ à Philænis fratribus, qui in eo loco vivi creduntur fuiſſe defoſſi. Nam quum inter Cyrenenſes & Carthaginienſes de finibus incidiſſet controverſia, placuit ut certo tempore duo viri ex utraq; civitate egrederentur: ubicunque ſibi obvii fierent, ibi civitatis utriuſque termini eſſent. Itaque Carthagine egreſſi Philæni, quum aliquot paſſuum millia in fines Cyrenenſium proceſſiſſent, indignati adverſarii ſe eſſe præventos, optionem Philænis propoſuerunt, mallentne ad ſuos fines retrocedere, an eo in loco vivi defodi: illisq; reſpōdentibus ſe patriæ ſalutem vitæ præferre, à Cyrenenſibus, qui viribus ſuperiores erāt, vivi eo in loco ſunt defoſſi. Quo in loco Carthaginienſes, ne eximia illorum in patriam pietas ulla temporum injuria obliteraretur, duas eis aras conſtituerunt. Vide Salluſtium in bello Iugurthino.

Phĭlăgrĭŏs, φιλάγριος, Medicus fuit inſignis, Galeni æqualis natione Epirota, Naumachii diſcipulus, cujus ſcripta recenſet Suidas.

Phĭlăgrĭus, φιλάγριος, Sophiſta Cilix, auditor Lolliani, ſupra modum iracundus. Nam & dormitanti quandoque auditori pugnum in malam fertur impegiſſe. Huic Metellus nepos ſepulcrum extruens, lapideum appoſuit corvum. Id quū Cicero eſſet intuitus, in ejus levitatem jocatus: Hoc, *inquit*, ſapientius à te factum: *πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον, ἢ λέγειν ἐδίδαξε*, volare magis te docuit, quàm dicere. Hæc Cælius Rhodiginus Antiq. lect. lib. 21. cap. 7. & lib. 17. cap. 20.

Phĭlāmōn, φιλάμμων, Filius Apollinis ex Chione nympha, clariſſimus carmine & cithara. Ovid. libro 11: Naſcitur è Phœbo (nanque eſt enixa gemellos) Carmine vocali clarus, citharaq; Philamon. ❡ Fuit item Philamon Athenienſis, pugil fortiſſimus, qui omnes ſuæ ætatis pugiles ſuperavit. Suidas.

Phĭlēmōn, φιλήμων, Syracuſius, novæ Comœdiæ ſcriptor, qui Alexandri Magni tempore floruit. Huic Quintilianus ſecundum inter Comicos ſcriptores locum tribuit: Philemon, *inquit*, pravis ſui temporis judiciis, Menandro ſæpè prælatus eſt: conſenſu tamen omnium meruit ſecundus credi.

Phĭlēſĭus, Cognomē Apollinis, Græci φιλήσιον amabilem dicunt: quod cognomen idcircò Apollini tribuitur: quia lumē ejus exoriens, amabili veneratione oculorum cōſalutamus.

Phĭlĕtærus, φιλέταιρος, Comicus fuit Athenienſis, Ariſtophanis Comici filius. Fabulas ſcripſit unam & viginti, quarū nonnullæ recenſentur à Suida.

Phĭlētās, φιλητᾶς, Poëta elegiographus ex inſula Co, qui Philippi & Alexandri Macedonum ætate floruit. Præceptor fuit Ptolemæi Philadelphi. Suis carminibus celebravit Battidem puellam, quam adamavit. Fuiſſe fertur corpore adeò tenui, ut neceſſe fuerit ei plumbum adhibere, ne ventorum flatu raperetur. Politianus: -nec Cous adhæc nō ſacra Philetas, Quanquam eſt æger, adeſt, quanquam veſtigia lento Fulta gravat plumbo, *&c.*

Phĭlēum, φίλεον, Vulgò *Groninga*, apud Ptolemæum Germaniæ Septentrionalis oppidum eſt. Ex longitudine & latitudine à Ptolemæo adſcripta, conjicimus aut idem eſſe cum Groninga Friſiæ oppido, aut certè illi proximum.

Phĭlīdēs, Mango quidam fuit equorū, à quo quum Themiſtocles equū dono poſtulaſſet, minimeq; impetraſſet, minatus eſt ſe domum ejus continuò ligneum equum facturum. Quo ænigmate ſignificabat ſe propinquorum accuſationes & crimina in eum conjecturū. Plutarch. in Themiſt. Quorſum hic mentio tam frigidæ rei?

Phĭlippī, φίλιπποι, Vrbs Theſſaliæ, quæ Dathos antea dicebatur, quā Philippus Macedonū rex inſtauravit, & à nomine ſuo Philippos nominavit. Virg. 1. Georg. Romanas acies iterum videre Philippi. ❡ Sunt & Philippi in Thracia, inter Neſ-

ſum & Strymonem amnes, non procul ab Oeſyma, quorum meminit Plin. lib. 4. cap. 11.

Philippenſis, Philippenſe, Poſſeſſivum formatum à Philippis Theſſaliæ civitate: ut Philippenſes cives, φιλιππήσιοι, & Philippenſe bellum, quod apud Philippos geſtum eſt.

Philippicus, ca, cum, φιλιππικός, Denominativũ, à civitate Philippis: ut, Campi philippici, civilibus cladibus nobilitati, in quibus primùm Cæſar Pompeium, & poſtea Auguſtus Brutum & Caſſium profligavit.

Philippides, φιλιππίδης, Comicus poeta haud ignobilis, qui ætate jam provecta quum in certamine Poëtarũ præter ſpem viciſſet, gaudio repentè mortuus eſt: quod & Diagoræ Rhodio accidit. ¶ Fuit & alius ejuſdem nominis, à celeritate pedum ἡμεροδρόμος cognominatus, quòd XXIIII. horarũ ſpatio mille quingenta ſtadia pedibus cõfecerit, diei unius & noctis ſpatio itinere ab Athenis Lacedæmonem uſque peracto. Vtriuſq; autor Suidas.

Philippopolis, φιλιππόπολις, Oppidum Macedoniæ, à Philippo Amyntę filio conditum, patre Alexandri. Autor Stephanus. Plin. Philippopolim in Thracia conſtituit, lib. 4. cap. 11.

Philippus, φίλιππος, Amyntæ filius & Alexandri Magni pater, Macedonum rex, rei militaris peritiſſimus, rebusq; geſtis clariſſimus, Macedoniæ regnum, quod anguſtis antea finib. continebatur, adeò ampliavit, ut centum quinquaginta populi in Macedonum ditione numerarentur. Hic à Pauſania quodam adoleſcente eſt interfectus: qui quum de ſtupro ſibi per vim ab Attalo illato, apud regem queſtus eſſet, & pro rei indignitate ultionem poſtulaſſet, ſeque etiam à rege irrideri animadvertiſſet, iram in regem convertit, & ultionem quam ab inimico nõ poterat, ab iniquo judice ſumpſit. ¶ Alius fuit hoc nomine Romanorum Imperator, qui primus ex Romanis imperatoribus Chriſtianæ religionis ſacris fuiſſe initiatus fertur. ¶ Philippus, Demetrii filius, rex Macedoniæ, à T. Qu. Flaminio victus. Is, autore Livio, quũ videret Annibalem fœliciter in Italia res gerentem, legatos ad eum de ſocietate miſit, qui in reditu à Q. Fulvio Flacco præfecto claſſis intercepti cum literis, miſſiq; ad Senatum, ſtatim M. Levinus prætor cõtra eum mittitur, qui regem agentem Apolloniæ, incautum, ſemiq́ue ſopitum nocte intempeſta adoritur. Ille in Macedoniam cum exercitu terreſtri itinere fugit, incenſis priùs ne hoſtis potiretur, ſuis navibus. Vide Liv. lib. 1. de bello Maced. ¶ Philippus, medicus Alexandri, teſte Curtio lib. 2. cujus etiã meminit Plutarchus in vita Alexandri. ¶ Philippos etiã Romanos viros claros legimus in gente Martia, inter quos L. Philippus orator, Craſſi adverſarius, Cic. lib. 3. de Oratore, & de Clar. orator.

Philiſcus, φιλίσκος, Comicus ſcriptor, cujus fabulæ enumerantur à Suida. ¶ Fuit item Philiſcus quidam Corcyreus, Philotæ filius, poeta ex ſecundo ordine Tragicorum, & Dionyſii ſacerdos ſub Ptolemæo Philadelpho. Scripſit fabulas duas & quadraginta. ¶ Philiſcus præterea Æginetа, Diogenis Cynici, aut certè (ut alii malunt) Stilpontis auditor, & præceptor Alexandri. Scripſit Dialogos quoſdã, inter quos eſt Codrus: ex Suida.

Philiſtion, φιλιστίων, Sardianus, ſive Pruſſenſis, poeta comicus, q Socratis ætate floruit, nimio riſu mortuus fertur. Suid.

Philiſtus, φίλιστος, Archonidæ filius, patria Naucratites, aut ut alii volunt Syracuſanus, Eveni Elegiographi diſcipulus. Scripta ejus enumerat Suidas.

Philix, Nutrix fuit Domitiani principis, ut eſt autor Sueton.

Phillyra, & Phillyrides, Vide PHILYRA, & PHILYRIDES.

Philo, φίλων, Academicæ ſectæ philoſophus inſignis, Ciceronis in Philoſophia præceptor, ut ipſe teſtatur in libro de Claris Orat. Eodem (*inquit*) tempore, quum princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamq; veniſſet, ei me totũ tradidi, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio incitatus. ¶ Fuit etiã hoc nomine Iudęus Philoſophus, Alexandriæ natus, diſciplinisq; omnibus eruditus, & in noſtra & Græcorum Philoſophia benè verſatus: eloquentiæ autẽ Platonicæ tam diligens æmulator, ut illud vulgò de eo jactaretur: ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει: hoc eſt, aut Plato philoniſſat, aut Philo platoniſſat. In divinis autem legibus, & patriis inſtitutis quãtus fuerit, ex hjs quæ nobis librorum ſuorum tradidit monumẽtis, palàm eſt. Igitur temporibus Caii quanta acciderint Iudæis mala, voluminibus abſolvit, quibus & ſuam legationẽ pro Iudæis apud Imperatorem retulit. Sed & Ioſephus hujus legationis meminit lib. 18. Hunc Porphyrius quoq; lib. 4. magnis laudibus eſt proſecutus. ¶ Philo Herennius, Byblius patria, grãmaticus, tempore Adriani, de cujus imperio ſcripſit: præterea de civitatibus & viris claris libros XXX. Suidas.

Philochorus, φιλόχορος, Athenienſis, vir doctiſſimus & vates, tẽpore Eratoſthenis extinctus inſidiis Antigoni Macedoniæ regis ob amicitię ſuſpicionem cum Ptolemæo rege. Scripſit Atthidis libros XVII. qui continent res geſtas Athenienſium, & reges & magiſtratus, uſq; ad Antiochum cognominatum Deum, aliaq; complura. Autor Suid.

Philocles, is, φιλοκλῆς, Athenienſis Poëta Tragicus fuit, non ita multo poſt Euripidem. Aeſchyli ſororis filius, ab iracundiæ vitio Bilis appellatus, facie fuit in primis fœda, capiteque in criſtæ formam acuminato. Scripſit fabulas centum. Reliquit filium nomine Morſimum, & ipſum poetam Tragicum. Hæc Suidas.

Philocrates, φιλοκράτης, Athenienſis, quem Demoſthenes in proditionis ſuſpicionem adducit. Extant ad hũc aliquot Aeſchinis epiſtolæ. ¶ Fuit & alius ejuſdem nominis, Struthius cognominatus: de quo vide Suidam.

Philoctetes, ctetis, vel ctetæ, penultima producta, φιλοκτήτης, Pœantis filius & comes Herculis, cui, idem moriens in Oeta monte, mandavit ne cui corporis ſui reliquias indicaret, idq; jurare eum coëgit, deditq; pro munere pharetram & ſagittas Hydræ felle intinctas. Adveniente verò tempore quum Delphico oraculo moniti eſſent Græci, ad evertendam Trojam ſagittis Herculis opus eſſe, inventus Philoctetes, & de Hercule interrogatus, negavit ſe primò quicquam de Hercule ſcire: tandem verò mortuum eſſe cõfeſſus eſt, & quum graviter ad indicandum ſepulcrum cogeretur, ne jusjurandum violaret, ictu pedis locum oſtendit: quumque ad bellum Trojanum duceretur: quia ſolus Lernæis ſagittis uti poterat, unius ſagittæ caſu in pede, quo Herculis tumulum monſtraverat, vulnere penè immedicabili affectus eſt. Tandem quum vulneris fœtor à Græcis ferri non poſſet, in Lemno relictus eſt: ſed occiſo Achille, Vlyſſes in Lemnum regreſſus, ad Trojam illum reduxit, ut inquit Ovid. lib. 3. Metamorph. Devicta autem Troja, pudore, ne in patriam æger rediret, impeditus, in Calabriam venit, ibique Petiliam condidit. Virg. lib. 3. Aeneid. hic illa ducis Melibœi Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro, &c. Tandem opera Machaonis medici ſanatus eſt. Propertio teſte: Tarda Philoctetæ ſanavit crura Machaon. Vide BARANTIADES.

Philolaus, φιλόλαος, Pythagoricus quidã philoſophus, cujus tres libros Plato, quum tenui admodũ eſſet pecunia, decem millibus denarium mercatus eſt. Quod precium à Dione Syracuſano acceperat. Philolaus, φιλόλαος, Corinthius ille qui leges Thebanis dedit, ex familia Bacchiadũ fuit: amicus Dioclis, qui Olympia vicit: ſed cùm ille civitatem deſeruiſſet, commotus ob amatorem matris Alcinoæ, Thebas migravit, atq; ibi ambo defuncti ſunt. Habitavit igitur ob hujuſmodi cauſam apud Thebanos, quibus leges deſcripſit, & alia quædam præcipuè de liberorum procreatione, quam illi θετικοὺς appellant. Ariſtot. 2. Polit.

Philomela, φιλομήλα, Nomen puellæ Pandionis Athenienſis regis filiæ, & ſororis Prognes. Quæ quum à Tereo compreſſa fuiſſet, tandem (ut eſt in fabulis) deorum miſeratione in avem ſui nominis converſa eſt, quæ & Luſcinia dicitur, quam etiam nunc deflere dicunt cantu dulciſſimo injuriam quam paſſa eſt. Martial. lib. 14: Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ Muta puella fuit, garrula fertur avis. Animadvertendũ hoc in loco eſt, contrà ac multi fabulam tradiderunt, exiſtimaſſe Gorgiam Philomelam in hirundinem, Prognem ſororem ipſius in luſciniam cõverſam fuiſſe, quam etiam opinionem ſequutus eſt M. Varro: Luſciniola, *inquit*, luctuoſa canere exiſtimatur, atq; eſſe ex Attica Progne, in luctu facta avis. Et Virg. Aeglog. 6. quum inquit: Quas illi Philomela dapes. Petrus Victorius in 3. lib. Rhetor. Ariſtot.

Philopœmenes, ſive Philopœmen, φιλοποίμην Suidæ, Megalopolitanus, dux Achæorũ præſtantiſſimus, Lacedæmonios & Meſſenios multis cladibus afflixit, Plutarchus in Philopœmene, Livius lib. 35.

Philoſtratus, φιλόστρατος, Lemnius philoſophus, tempore Severi principis Romæ claruit, cujus uxori fuit ab epiſtolis. Scripſit Vitas ſophiſtarum ad Severum, & de Vita Apollonii Tyanei libros octo, præterea Heroica. ¶ Philoſtratus, hujus pater, Athenis docuit Neronis tempore: ſcripſit panegyricos plures, & declamationes oratoribus valdè probatas, compluraq; alia quæ à Suida commemorantur. ¶ Philoſtratus tertius, ſuperioris filius, docuit Athenis: ſcripſit Panathenaicum, Trojam, Paraphraſim Homerici clypei, Iconasque quas huic multi acceptas referunt. Suidas.

Philoxenus, [φιλόξενος. Pol. *Gaſtfreund.*] Hoſpitalis: quo nomine dictus eſt poeta quidam Lyricus, qui quum ſibi Dionyſius tragœdiam quandam caſtigandam commiſiſſet, ducta linea à capite ad calcem totum opus damnavit: quapropter in latomias conjectus eſt: indeque Tarentum aufugit: Dionyſio que ſe per literas revocanti, nihil aliud quàm monoſyllabum « reſcripſit, ſæpiùs repetitum. Autor Suidas. ¶ Fuit etiam hoc nomine paraſitus quidam, qui collum gruis ſibi optabat,

optabat, quò diutiùs cibi, potusque delectatione frueretur. De hoc Philoxeno tradit Plutarchus, & Athenæus cum ſolitũ eſſe conviviis adhibitum, ſe in pultaria emungere, ut reliquis rei fœditate abhorrentibus, ſolus epulis frueretur. Idem etiã traditur de Gnathone quodam Siculo. ¶ Philoxenus, Eretriẽſis pictor, Nicomachi diſcipulus, cujus tabula nullis poſtponenda Caſſandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idẽ pinxit & Laſciviam in qua tres Sileni comeſſabantur. Hic præceptoris celeritatem ſequutus, breviores etiamnum quaſdam picturæ vias & compendiarias invenit. Verba ſunt Plinii, lib. 35. cap. 10. ¶ Philoxenus, Grãmaticus Alexãdrinus, Romæ ſcripſit de monoſyllabis verbis. De Helleniſmo: De linguarum dialectis, & alia. Suidas.

Philyra, eſt proprium nomen filiæ Oceani, ex qua Saturnus in equum converſus Chironem Centaurum dicitur ſuſcepiſſe: qui à matre Philyrides, & Philyreus dicitur. Scribitur actẽ hoc nomen & ejus derivata ſimplici l. Poëtæ tamen ſuo jure ut primam ſyllabam extendant, geminant hanc conſonantẽ. Ovid. lib. 1. de Arte amandi: Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem.

Phīnĕus, Φινεὺς, Agenoris fuit filius, ut Hellanicus ait: ut Heſiodus Phœnicis & Caſſiopeæ, Agenoris nepos, frater Ciliscis, Dorieli, & Atamini. Hic rex Arcadiæ: vel ut alii, Thraciæ: vel ut rurſus alii, Paphlagoniæ uxorem duxit Cleopatram, (quam quidam Sthenobœam vocant) ex qua genuit Orythum, & Crambum, ut Sophocles: ut alii, Maryandinũ & Thynum: vel ut rurſus alii, Palæmonem & Phinea, quibus mortua priore conjuge Cleopatra Harpalycen Calais & Zethe ſororem, novercam ſuperinduxit: quamvis Flaccus non Harpalycen, ſed Cleopatram Boreadum ſororem appellet: cui etiam Apollonii interpres aſſentitur, qui lib. 1. Phineum Cleopatram Boreæ & Orithyiæ filiam uxorem duxiſſe tradit: ſecundam verò Idæã Dardani filiam novercam ſuperinduxiſſe: cujus ſuaſu filios ex Cleopatra ſuſceptos excæcavit. Quapropter & ipſe excæcatus eſt à diis, tum Harpyiæ contra eũ miſſæ, quæ cibos & menſam ejus turpiſſimè fœdarunt. Poſtea verò advenientibus ad ea loca Argonautis, à Calaĩ & Zethe fratribus alatis, rurſus ad Strophades inſulas fugatę ſunt: vide ſuprà CALAIS. Poſtremò ab Hercule interfectus dicitur, quũ in ſolitudine liberos Phinei offendiſſet excæcatos, comperiſſetq; eos calumniis novercæ ejectos fuiſſe, &c.

Phīnēus, a, um, apud Senecam, & Phineïus, a, um, apud Virg. lib. 3. Aeneid. quas dira Celæno Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa poſtquam Clauſa domus menſaſque metu liquêre priores, &c.

Phiſon, [Φισων. Germ. Der fluß Ganges in India.] teſte Ioſepho. lib. 1. ca. 2: Vna eſt ex partibus magni fluminis in omnẽ terram undiq; profluentis, quo paradiſus irrigatur, qui deductus in Indiam pelago latè diffunditur. A' Græcis nuncupatur Getha: alii Gangem interpretantur, alii Nilum.

Phla, Inſula eſt in Tritonide Africæ palude, de qua ſic Herodotus lib. 4: Ajunt Iaſonem poſteaquam ſub Pelio Argo exædificavit, impoſitis in ea cum aliis ſolennibus hoſtiis, tum verò tripode æreo, circuiſſe Peloponneſum, animo Delphos eundi: cumq; quũ teneret curſum circa Maleam, abreptum à vento Aquilone, & abductum in Africam: & priuſquam tellurem cerneret, in aſperitis paludis Tritonidis adhæſiſſe, eiq; hæſitanti de egreſſu apparuiſſe Tritonem, ac juſſiſſe ſibi dari tripodem, quòd diceret oſtenſurum ſe illi exitum, atque incolumem remiſſurum.

Phlanonites, Φλανωνῖται Stephano, Populi ſunt Illyrici, à quibus nomen ſinui eſt inditum, quem modò nautæ Quernarium appellant: alii Carnarium propter naufragia, procelloſo fermè ſemper tranſit. In receſſu ejus Senia urbs, cujus à tergo ſpecus ſunt, unde vehementes nulla ferè non hora venti perflant: eaq; res infamem eum ſinum reddidit. Dicti Phlanonites ab oppido Phlanone: unde ſinus omnis hic Phlanoniticus. Φλανωνικὸς, Stephano vocatur: qui à Pola colonia Iadetam uſque diffunditur.

Phlĕgĕthōn, thontis, [Φλεγέθων. Germ. Einer auß den Hölliſchen flüſſen.] Fluvius inferorum, flammis æſtuantibus rapidus: à φλέγω, ardeo. Virg. 6. Aen. Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon, torquetq; ſonantia ſaxa. Hinc Phlegethonteus, a, um, penult. prod.

Phlĕgōn, Φλέγων, Vnus ex equis Solis, ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod eſt ardere, dictus. Ovid. 2. Metam. Vide AETHON.

Phlegrā, æ, vel Phlegre, es, Φλέγρα, Vrbs Macedoniæ, teſte Plin. lib. 4. cap. 10, & vallis circa hanc urbem in qua Gigantes olim cum diis conflixêre.

Phlegræi, Φλεγραῖοι, Campi duo fuêre, alter in Græcia, à Phlegra Theſſaliæ valle juxta Pallenẽ, ubi Gigantes cum diis conflixiſſe traduntur. Alter in Campania prope Cumas, in quo Hercules cum his prælium cõmiſit. Strabo lib. 5: Fortunatus erat & campus nomine Phlegræus, in quo res à Gigantibus geſtas fabulæ divulgant nullam aliã ob cauſam (ut credi fas eſt) quàm quòd terra ipſa ſuapte virtute præliorum concitatrix eſſet. Theagenes verò & Eudoxus qui ad hiſtoricam fidẽ pugnam hanc conantur reducere: Pallenen (inquiunt) quæ veteri nomine Phlegra vocabatur, homines tenuerunt, quibus immanitas & ſuperbia morum, Gigantum cognomen peperit. In hos ineunte prælium Hercule, fulmina de cœlo miſſa ſunt, donec ii fugere coacti ſunt, atq; ingenti victoria ſuperati. Ex hac re rumor in vulgus ortus: Gigantes bellum diis movisse. Silius lib. 12: Tradunt Herculea proſtratos mole Gigantes Tellurem injectam quatere, & ſpiramine anhelo Torreri latè campos, quotieſq; minantur Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cœlum. Id autem ideò fictum eſt quoniam ea regio tota ſulphure plurimo ſcatet. Hinc fit ut ventorum impulſu excitetur paſſim ignis: qui quũ exitum è cavernis natura expetat, dum luctatur aſſiduè, terram tãdem, quatit & commovet, exuritq; frequẽter, unde & nomen ſortitur: φλέγειν enim Græcè exurere, ardereq; ſignificat.

Phlegræus, Φλεγραῖος, Vnus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius apud Ovid. 12. Metamor.

Phlĕgyās, Φλεγύας, Martis filius, rex Lapitharum in Theſſalia, pater Ixionis, & Coronidis nymphæ, quàm quum ab Apolline vitiatã ſenſiſſet, confeſtim ira percitus, templum ejus Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus ipſum ſagittis interfectum ad inferos detruſit, ubi hac pœna afficitur, ut ſub ingenti ſaxo ruinam minitante ſedens ſemper illud caſurum ſuſpicetur & timeat. ¶ Phlegyæ item populi ſunt inſulani Theſſaliæ, à Phlegya Ixionis patre cognominati. Hi cùm ſacrilegi eſſent, deoſq; & homines ſpernerent, ab irato Neptuno immiſſo diluvio ſubmerſi ſunt, quorum apud inferos meminit Virg. lib. 6. Aen. ſedet, æternumq; ſedebit

Infelix Theſeus, Phlegyaſq; miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Phlius, untis, Φλιοῦς, Vrbs in medio Sicyonii, Argiviq; agri, ubi religioſiſſimè colebatur Hebe. Autor Strab. lib. 8. Oppidi hujus incolæ Phliuntii, Phliuſii, & Phliaſii dicuntur: regioq; circumjecta, Phliaſia, anteà Aræthyræa dicta, teſte eodem Strabone, loco jam citato.

Phocæ, Phocarum, Inſulæ ſunt Cretæ adjacentes, ut ait Plin. lib. 4. cap. 13.

Phocæā, Φώκαια, Vrbs Ioniæ, Athenienſiũ colonia, teſte Strabone lib. 14: unde profecti ſunt qui Maſſiliam apud Gallos non procul à Rhodano condidêre. Dicta Phocæa, quòd vituli marini magno numero apparuiſſent urbem cõdentibus. ¶ Eſt etiam in Caria Phocæa, monti Micalæ appoſita, ab hac Phocæenſes, Φωκαεῖς, ut à Græcorum Phocide, Phocenſes, Φωκεῖς. ¶ Ab utraque Phocaicus, ca, cum: ut Murex Phocaicus, Littus Phocaicum.

Phocæi, [Φωκαεῖς. Germ. Alte Völcker in Ionia.] Ioniæ populi, qui aſſiduis Perſarum bellis exagitati, communi conſenſu patriam reliquerunt, diriſque execrationibus ſe devoverunt, ſiquando eòdem redire conarentur. Varia deinde fortuna uſi, tandem in Galliam delati ſunt, ubi Maſſiliam condiderunt. Horatius: Nulla ſit hac potior ſententia, Phocæorum Velut profugit execrata civitas. Vide Eraſmum in Proverbio: Phocenſium execratio.

Phocās, Φωκᾶς, Romani Imperatoris, item celebris Grammatici nomen.

Phocūſſā, æ, Φωκοῦσσα, Inſula eſt in mari Aegæo, ex adverſo Atticæ: cujus meminit Plin. lib. 4. cap. 12.

Phocæ, Φῶκαι, Vrbs Bœotiæ, ad ſinum Octeum: cujus meminit Ptolemæus lib. 3. cap. 15.

Phōcĭōn, Φωκίων, Civis Athenienſis, tanta vitæ integritate, ut quum magnas ſibi opes ex magiſtratibus, qui plurimi ei deferebantur, poſſet comparare, pauperrimus tamen permanſerit: unde & τοῦ χρηστοῦ: hoc eſt, probi, ſive frugi cognomen invenit. Hic neq; ridere, neq; lacrymare ab ullo unquam eſt viſus: & in concione quum quis dixiſſet, Cogitabundus videris ô Phocion. Rectè, inquit, conjectas: Cogito enim qua ratione aliquid de his detrahere poſſim, aut omittere quę apud Athenienſem populum dicere decrevi. Huic quum legati Philippi Macedonum regis ingentia munera offerrent, hortarenturq; ut ea acciperet, admonerentq; ſimul quãvis ipſe facilè his careret, liberis tamen ejus eſſe neceſſaria, quibus difficile foret in ſumma paupertate ad paternam gloriã pervenire: Si mei, inquit, ſimiles erunt, idem hic agellus alet illos, qui me ad hãc dignitatem perduxit: ſi diſſimiles nolo meis impẽſis illorum ali, augeriq; luxuriam.

Phōcȳlĭdes, pen. cor. Φωκυλίδης, Mileſius philoſophus æqualis Theognidis. Natus eſt quinquageſima nona Olympiade. Scripſit Heroicum carmen & Elegias: item Parænetium carmen, ex libris Sibyllinis, ut volunt, decerptum. Vide Suidam.

Phōcis, idis, Φωκίς, Exigua Græciæ regio, ſinui Criſſæo adjacens.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

cent, Delphico oraculo, & Helicone, Parnaſſoque montibus inclyta.

Phocæenſes, hujus incolæ dicuntur, Φωκεῖς, à quibus nonnulli putant profectos eſſe Maſſiliæ conditores, non (ut alii exiſtimant) à Phocæenſibus Ioniæ populis. Cui etiam ſententiæ non obſcurè ſubſcribit Plin. lib. 5. cap. 4. ubi Maſſiliam Græcorum Phocenſium coloniam appellat, ad diſcrimen (ut videtur) Aſiaticorum. Idem oſtendit & Lucanus lib. 5: Maſſiliæq; ſuæ donatur libera Phocis.

Phocus, ci, Φῶκος, Filius Aeaci, cujus meminit Ovid. lib. 7. Met.

Phocuſſa, Plin. lib. 4. cap. 12. Inſula una ex Sporadibus.

Phœbas, badis, φοιβάς. Phœbi ſacerdos ita dicta, teſte Servio, quòd Phœbi numinis concepto afflatu fureret, & agitaretur in Bacchantis imaginem. Sidonius: Nec ſic intortum violatæ Phœbados ultrix In Danaos fulmen jecit.

Phœbe. [φοίβη. Ger. Der Mon.] Phœbi ſoror: hoc eſt, Diana, ſive Luna. Virg. 2. Georg. -vero ſemper rubet aurea Phœbe. Ovid. 2. Metam. Quanto ſplendidior quàm cætera ſidera fulget Lucifer, & quanto quàm Lucifer aurea Phœbe: Tanto virginibus præſtantior omnibus Herſe Ibat. Iaculatrix Phœbe, Ovid. Epiſt. 19. Innupta Phœbe, Ovid. 1. Metam. Nemoralis Phœbe, Stat. 1. Sylvarum.

Phœbus. [Φοῖβος. Germ. Ein Sohn Iovis, und Latonæ.] Apollo, Iovis & Latonæ filius, codẽ partu cum Diana editus (quæ & ipſa Phœbe vocitata eſt) divinationis & ſapientiæ Deus à Poetis exiſtimatus, & medicinæ repertor. Dictus Phœbus, quaſi φῶς τοῦ βίου: id eſt, lux vitæ. Virg. 3. Aegloga: Et me Phœbus amat, Phœbo ſua ſemper apud me Munera ſunt, &c.

Phœbeus, a, um, pen. prod. Φοίβειος. Virg. 3. Aeneid. Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Phœmon, Lacus eſt Arcadiæ, de quo Ovid. 15. Metam.

> Eſt lacus Arcadiæ, Phœmon dixère priores,
> Ambiguis ſuſpectus aquis, quas nocte timeto:
> Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

Phœnices. [Φοίνικες. Germ. Ein Landtſchafft Aſiæ an das Mittelmeer ſtoſſend, und das Judiſch Landt.] Populi Syriæ, Iudæis cõterminì, quorum præcipuæ urbes fuerunt Tyrus & Sidon. Horum regio Phœnice, Φοινίκη, ſive Phœnicia appellatur, à Phœnice Neptuni & Libyes filio, ut Stephano placet. Cui opinioni etiã accedit Silius lib. 1: Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix. Phœnices ingenii acumine plurimùm valuerunt: quippe qui & literarum, & navigandi artis primi inventores extitiſſe putantur. Ruſus ex Dionyſio:

> Phœnicum regio eſt: hi rubro gurgite quondam
> Mutavère domum, primiq; per æquora vecti
> Luſtravère ſalum, primi docuère carinis
> Ferre cavis orbis commercia: ſidera primi
> Servavère poli. Lucan item lib. 3: Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Phœniſſa, ſæ, Φοίνισσα, Mulier ex Phœnice Syriæ regione: cujus maſculinum eſt Phœnix. Virg. 1. Aen. Hanc Phœniſſa tenet Dido, blandiſq; moratur Vocibus.

Phœniceus, a, um, Φοινίκεος, Genus coloris, qui alio nomine ſpadix appellatur, qualis in palmæ fructu apparet ſole nõ admodum incocto. Græci enim φοίνικας, dactylos appellant. Quidam voluerunt Phœniceum colorem eundem eſſe cum purpureo, à Phœnicibus populis dictum exiſtimantes, apud quos præſtantiſſima olim purpura tingebatur. Quorum opinioni quominus aſſentiar, facit Plinii autoritas, manifeſtè Phœniceum colorem à purpureo diſtinguentis, lib. 21. cap. 23. Aut enim, *inquit*, phœniceum habet florẽ, aut purpureum, aut lacteum.

Phœnicuſſa, Φοινικοῦσσα, Vna ex Vulcaniis inſulis, apud Pliniũ lib. 3. cap. 9.

Phœnix, Vide in APPEL.

Pholegandros, Φολέγανδρος, Inſula eſt una Sporadum, quã Aratus propter aſperitatem, ferream vocat. Stephanus nomẽ accepiſſe tradit à Pholegandro Minois filio.

Pholoe, Φολόη, Mons Arcadiæ ſylvoſus, oppidum habens ejuſdem nominis, teſte Plin. lib. 4. cap. 6. Lucan. lib. 7: Scilicet ipſe petet Pholoen, petet ignibus Oetam.

Pholus Φόλος, Fuit unus ex Centauris, Ixionis ex Nube filius. Hic Herculem ſuſcepit hoſpitio quum ad expugnandos Centauros pergeret: & tandem in nuptiis Pirithoi, orto prælio inter Lapithas & Centauros occubuit. Lucan. Hoſpes & Alcidæ magni, Phole. Virg. lib. 2. Georg. Bacchus & ad culpã cauſas dedit, ille furentes Centauros letho domuit, Rhœtumque, Pholumque.

Phorbas, bantis, Φόρβας, Triopæ filius, pater Ilionei Trojani, unus ex comitibus Aeneæ: qui quum in bello Trojano adverſante etiam Priamo ſæpiùs in prælium deſcendiſſet, & multa egregia facinora edidiſſet, tandem à Menelao obtruncatus eſt. Hujus imagine aſſumpta Somnus Deus Palinurum decepit, ut placet Virgilio ad finem 5. Aeneid. -puppique (*inquit*) Deus conſedit in alta Phorbanti ſimilis, *Servius*. ¶ Alius fuit Phorbas Argivorum rex. ¶ Alius item paſtor Polybii Corinthiorum regis.

Phorcus, ci, vel Græco more Phorcys, aut etiam Phorcyn, cynos, Φόρκυς, Φόρκυν, Filius Neptuni & Thooſæ nymphæ, rex Corſicæ & Sardiniæ inſularum: quem ab Atlante navali prælio victum, undaque obrutum, poſtea ſocii ſuperſtites in marinum Deum converſum dixère, eique divinos honores exhibuère. Virg. 5. Aeneid. Tritoneſq; citi, Phorciq; exercitus omnis, &c. Hic pater fuit Meduſæ, quæ ob id nomine patronymico Phorcynis dicitur. Ovid. 5. Meta. -in partem Phorcynida tranſtulit illam. Hinc etiam deducitur aliud patronymicũ fœm. Phorcys, ydos. Propert. lib. 3: Sectaq; Perſea Phorcydos ora manu.

Phormio, Φορμίων, Crotoniata, dux rei militaris peritiſſimus, qui Lacedæmonios duobus navalibus præliis ſuperavit. Hujus meminit Theopompus in Philippicis. ¶ Phormio item dux Athenienſium in bello Peloponneſiaco, qui Peloponneſios duobus maximis prælus afflixit. Autor Thucyd. lib. 2. ¶ Phormio, Peripateticæ ſectæ philoſophus, quum apud Annibalem jam Carthagine expulſum, & in Aſia exulantẽ, aliquot horas de officio Imperatoris, deq; omni re militari copioſiſſimè differuiſſet, interrogatus Annibal quid de eo ſentiret, reſpondit: Multos ſe deliros ſenes vidiſſe: ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Neq; mehercule injuria, quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri poterat, quàm Annibali, qui tot annos de imperio cũ populo Romano omnium gentium victore certaſſet, Græcum hominẽ, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet: nullam deniq; minimam partem publici muneris attigiſſet, præcepta de re militari dare? De hoc vide Cic. 2. de Orat. ¶ Phormiones, Φορμίωνες, tegetes item ex junciis & ſtraminibus cõtextæ, apud Vlpianum l. 12. §. 12. D. de inſtru. vel inſt. Vbi tamen Formiones legitur pervulgato errore.

Phormus, Φόρμος, Syracuſanus comicus, Epicharmi cõtemporaneus, Geloni tyranno familiaris, & filiorum ipſius altor. Docuit fabulas ſeptem, quas commemorat Athenæus.

Phoroneus, Φορωνεύς, per tres ſyllabas, Filius fuit Inachi fluvii, & Argivorum rex, qui initiò diſperſos populos in urbem coëgit, quam appellavit Argos Phoronicon.

Phoronis, idis, patronymicum fœmininum, quod Poëtæ uſurpant pro Iſide Inachi filia, & Phoronei ſorore. Ovid. 1. Metamorphoſ. Nec ſuperum rector mala tanta Phoronidos ultra Ferre poteſt.

Phoroneus, a, um, per quatuor ſyllabas. Stat. 2. Sylvar. Iſi Phoroneis quondam ſtabulata ſub antris.

Phragmon, Φράγμων, Inſignis ſtatuarii nomen, qui Olympiade LXXXII floruit, teſte Plin. lib. 34. cap. 8.

Phraortes, Φραόρτης, Rex Indorum ad quem Apollonius Tyaneus pervenit: quem quum de victus ratione interrogaret, reſpondit: Tantum vini bibo, quantum Soli ſacrifico: quæ autẽ venando acquiro, paſcuntur alii, mihi ſat fuerit ipſa exercitatio. Cibus mihi olera & palmarum fructus, multa mihi quoque ex arboribus naſcẽtia, quas manus hæ plantaverunt. Philoſtratus in vita Apollonii.

Phrixa, Φρίξα, Vrbs Peloponneſi triginta non amplius ſtadiis ab Olympia diſtans, alio nomine Phæſtus appellata.

Phrixæus, a, um, gentile, Φριξαῖος. Steph.

Phroneſium, Φρονήσιον, Meretriculæ nomen eſt apud Plautum, Latinè prudentulam ſonat.

Phrygia, Φρυγία, Minoris Aſiæ regio, Cariæ, Lydiæ, Myſiæ, & Bithyniæ finitima, quarum omnium fines ita coëunt, ut non facilè poſſint diſtingui, teſte Strabone lib. 13. Dicta eſt autem Phrygia (ut idem Strabo non uno in loco indicat) à Phrygibus populis, è Thracia oriundis, qui antea Pryges dicebantur. Quidam duplicem faciunt Phrygiam: majorem, in Galatiam vergẽtem: & minorem, Epictetõ cognominatã. In hac eſt Ida mons, & Tmolus, & Pactolus fluvius. ¶ Ex Phrygia orta eſt Sibylla cognomento Phrygia: cujus nomine circumfertur illud de ſupremo judicio vaticinium:

> *Tuba de cœlo vocem luctuoſam emittet.*
> *Tartareum chaos oſtendet dehiſcens terra.*
> *Venient ad tribunal Dei reges omnes.*
> *Deus ipſe judicabit ſimul pios & impios.*
> *Tunc damnans impios in ignem & tenebras mittet:*
> *Qui autem pietatem tenent, iterum vivent.*

Phryx, gis, Φρύξ, Qui eſt ex Phrygia. Cicer. pro Flacco: Aſia veſtra conſtat, opinor, Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. Vtrum igitur noſtrum eſt an veſtrum hoc proverbium: Phrygem plagis fieri meliorem? ¶ Serò ſapiunt Phryges, proverbium in eos dici ſolitum quos ſtultè factorum ſerò pœnitet. Vide Eraſmi adagia. Fœmininum ejus eſt Phrygia. Φρυγία Stephano. Virg. 9 Aen. O verè Phrygiæ, neq; enim Phryges.

Phrygiones, [Pol. ſzwac, haffterz. Ang. Weavers of cloth of baudkin.]

kia.] Qui acu pingunt, vel qui veſtes auro intexunt. Phryges enim primi invenêre talem texturam. φρύγιοι. Plin. lib. 4. cap. 48: Pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe video, unde natæ triumphales. Acu facere Idæi Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati ſunt.

Phrygĭus, a, um, adject. φρύγιος, Quicquid è Phrygia eſt. Cicero pro Roſc. Amerin. Quis ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio? ¶ Phrygius lapis, λίθος φρύγιος, Gleba eſt pumicoſa, teſte Plin. lib. 36. cap. 19, tingendis veſtibus utilis. Phrygius lapis (inquit) gentis nomen habet. Eſt autem gleba pumicoſa. Vritur antè vino perfuſus, flaturq; follibus donec rufeſcat: ac rurſus dulci vino reſtinguitur: & hoc trinis vicibus, tingendis veſtibus tantùm utilis. Phrygia veſtis picta acu, cujus artifices Phrygiones appellantur. Hujus veſtis meminit Virgil. lib. 9. Aen. Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis. Item eodē: O' verè Phrygiæ, neq; enim Phryges. Nonius Phrygiæ veſtes barbaricæ dictæ. Vide BARBARICVS.

Phrygĭānŭs, a, um, Quod Phrygionum opera confectū eſt, ut phrygianæ veſtes: hoc eſt, acu pictæ. Plin. lib. 8. cap. 48: Togas raſas, phrygianasq; D. Auguſti noviſſimis temporibus cœpiſſe, ſcribit Feneſtella.

Phryne, φρύνη, Nobilis Athenis meretrix fuit: quæ quum impietatis accuſaretur, & ſummopere jam periclitaretur, diducta manu tunica, nudatoq; judicibus candidiſſimo pectore, omni periculo eſt liberata. Autor Ariſtot. Rhetor. lib. 1. Quint. lib. 2. cap. 15.

Phrynĭchŭs, φρύνιχος, Athenienſis tragicus, Theſpiadis diſcipulus, qui primus perſonam fœminæ protulit in ſcenam, & tetrametrum reperit. Filium habuit Polyphradmonem poetam, & ipſum tragicum. Docuit tragœdias novem. ¶ Alter item Athenienſis comicus inter ſecundos antiquæ comœdiæ, qui docuit fabulam unam. ¶ Tertius ejuſdem nominis Bithynicus ſophiſta, qui ſcripſit de Atticis dictionibus. Autor Suidas.

Phrynĭs, φρύνις, Citharœdus nobilis fuit, patria Mitylenæus, diſcipulus Ariſtoclidis, qui genus ſuum ad Terpandrum referebat. Hic primus Athenis viſus eſt citharœdus, Callia ſummum magiſtratum gerente. Vide plura de hoc apud Suidam.

Phryxŭs, φρίξος, Athamantis ex Nephele filius, qui quū novercales inſidias ferre non poſſet, unà cum Helle ſorore profugit, acceptoq; à patre ariete cui vellus erat aureum, eoque conſcenſo, quum in Aſiam trajicere vellent, Helle puellari timore exterrita, decidit in mare, quod ex ejus nomine Helleſpontus appellatur: Phryxus, verò incolumis in Colchidem pervenit ad regem Aeten, ubi arietem Iovi: vel, ut aliis placet, Marti immolavit, vellusq; illud aureum in templo ſuſpendit, quod poſtea Iaſon Medeę ope adjutus, abſtulit. Aries verò inter ſidera locatus, priſtinam effigiem tenuit, qui à Phryxo Phryxeus appellatur, media lōga. Ovid. lib. 7. Metam. Dumq; adeunt regem, Phryxeaq; vellera poſcunt.

Phthīă, φθία, Civitas Theſſaliæ, Achillis patria.

Phthĭās, φθιὰς, & Phthiota, φθιώτης, Qui Phthiam incolit. Ovid. in Epiſt. Briſeid. Quàm ſine me Phthiis caneſcant æquora remis, Et videam puppes ire relicta tuas.

Phthĭōtĭs, tidis, φθιῶτις, ſive Phthiotia, tiæ, Vna ex quatuor Theſſaliæ partibus, in Auſtrum vergens. Strabo libro 9: Cæterùm Phthiotia tractum continet Auſtralem ad OEtam, à ſinu Maliaco & Pelaſgico uſq; ad Dolopiam oramque Pindi protenſum. In latitudinem verò porrectum uſq; ad Pharſalum, planaq; Theſſalica.

Phthīrŏphăgi. [φθειροφάγοι. Germ. Leußfreſſer/ſeind Völcker am Euxiniſchen Meer.] Dicti ſunt populi, à tenuitate victus, quaſi pediculis veſcātur. Hi ſunt juxta Pontum Euxinū. Plin. lib. 6. cap. 4: Strabo lib. 10. & 11.

Phthūrĭs. φθοῦρις, Aethiopiæ oppidum, unum ex iis quæ C. Petronius, quum ab Auguſto Aegypto præfectus eſſet, expugnavit. Autor Plin. lib. 6. cap. 29.

Phurnita, Vrbs Libyæ: cives Phurnitani. Steph.

Phurnȳthĕi, Populi Mauritaniæ, quorum originem refert Ioſephus ad Phuth filium Cham, filii Noë.

Phycūs, cūntis, φυκοῦς, Libyæ Cyrenaicæ promontoriū, quàm longiſſimè in mare excurrens, ex adverſo Tænari Laconiæ, ut ſcribit Strabo lib. 17.

Phycuſſæ, φυκοῦσσαι, Inſulæ Libyæ adjacentes: ita dictæ ab algæ copia, quæ φῦκος à Græcis appellatur. Autor Stephanus.

Phylăce, φυλάκη, Oppidum eſt Phthiotidis regionis Theſſaliæ, cujus meminit & Homerus in Catalogo: Οἳ δ' εἶχον Φυλάκην, καὶ Πύρασον ἀνθεμόεντα. In hoc Proteſilaus regnavit: unde Phylacides cognominatus eſt, & Laodamia ejuſdem uxor Phylaceia. Ovid. lib. 3. de Arte: Phylacides aberat Laodamia tuus. Vbi poëta primam produxit, contra primitivi naturam. Idem de Ponto: Vt vivat fama conjunx Phylaceia, cujus, &c.

Phylēus, φυλεύς, Iovis filius, & pater Megetis viri fortiſſimi, qui in bello Trojano præfuit Dulichius, Echinadumq; inſularum incolis. Vide Homerum in Catalogo navium.

Phyllis, Nomen Lycurgi Thracum regis filiæ, quæ Demophoonta Theſei filium ex Trojano bello redeuntē hoſpitio, lectoq; excepit acceptā priùs ab eo fide, ut domi compoſitis rebus uxorem ab eo ductū iri. Profectus itaq; Demophoon, quum ultra ſtatutum tempus variis diſtrictus negotiis in patria detineretur, Phyllis & amoris impatientia, & doloris impulſu, quòd ſe ſpretam eſſe crederet, laqueo vitam finivit, indę converſa in arborem amygdalum ſine foliis fertur. Poſtea reverſus Demophoon, cognita re, ejus amplexus eſt truncū: qui (velut ſponſi ſentiret adventum) folia emiſit. Ita poſtea Phylla ſunt dicta à Phyllide, quę antè petala dicebantur. ¶ Eſt & Phyllis, φυλλὶς, amnis Bithyniæ, teſte Stephano: à quo Phylli, φυλλεῖς: Phyllienſesq; φυλλιεῖς dicuntur.

Phyllŭs, li, φύλλος, ſive Phyllūs, ūntis, φυλλοῦς, Stephano, Oppidum Theſſaliæ, in tractu Phthiotidis: à quo Apollo Phylleus cognominatus eſt. Autor Strabo lib. 9.

Phyſcūs, ci, φύσκος, Fiſco, Cariæ oppidū e regione Rhodi inſulæ: cujus meminit Strabo lib. 14. Stephanus aliam ejuſdem nominis urbē collocat in Locride, quā dictam vult à Phyſco Aetoli filio, nepote Amphyctionis, pronepote Deucalionis.

P ante I.

Piālia, πιαλία, Oppidum Theſſaliæ ſupra Cercium montem, Stephanus.

Picenum, pen. prod. [πικηνόν. Vulgò Marca d'Ancona, Anconitana. Ger. Ein Landtſchafft in Italia / jetzt die Anconitaniſch Marck.] Regio Italiæ trans Apennina, ab ipſis montibus uſq; ad mare Adriaticum extenta, inter Aeſim & Leaſtium fluvios, teſte Strabone lib. 5. Hodie ab Ancona celeberrimo emporio Marchia Anconitana appellatur. Vrbes habet præcipuas Piſaurum, Fanum fortunæ, Senſm Gallicam, Vrbinum, Camerinum, Aſculum, Anconam à Syracuſanis Dionyſii tyrannidē fugientibus conditam. Hujus populi Picentes & Piceni appellabantur, diverſi à Picentinis maris Tyrrheni accolis.

Pīcēnŭs, cena, cenum, πικηνός: ut Ager Picenus, & Oliva picena apud Plin. lib. 15. cap. 3.

Pīcentēs, tium, qui & Piceni dicuntur, πικηνοὶ, Populi ſunt in quinta regione Italiæ, ad mare Adriaticum ſiti, Prætutianis finitimi, à quibus Helvino amne dirimuntur, Plin. lib. 3. ca. 13. Horum regio Picenum appellatur, olim uberrimæ multitudinis: quippe ex qua CCCLX. hominum millia aliquando in fidem populi Romani veniſſe dicantur. Dicti & Picentes, teſte Strabone lib. 5. à pici Martii omine, qui in vexillis eorum è Sabinis (à quibus originem traxerunt) Aſculum commigrantium dicitur inſediſſe.

Pīcentīni, πικεντῖνοι, Populi ſunt ad mare Tyrrhenum, Lucaniæ proximi, inter Syrrentinum promontoriū & Silarum amnem incolentes, à Picentibus maris Adriatici accolis originem trahentes. Horum oppida fuerunt Picentia & Surrentū. Vide Strabonem lib. 5 & Plin. lib. 2. cap. 5.

Pictŏnes, πίκτονες, Galliæ Aquitanicæ populi, Ptolemæo lib. 2. cap. 7, & Plin. lib. 4. cap. 19. Vulgò Conte de Poitou.

Picus rex Latinorum, Fauni pater, Latini regis avus, augurorum peritiſſimus, qui à Circe adamatus quum ejus conjugium ſperneret, mutatus fertur in avem ſui nominis: quod idcircò fingi creditur: quoniam primus hac avecula eſt in auſpiciis. Ovid. 13. Metam. Picus in Auſoniis proles Saturnia terris. De hoc vide Servium 7. Aeneid. in hunc Virgilii locum: Picus equūm domitor: quem capta cupidine conjux Aurea percuſſum virga, verſumq; venenis Fecit avē Circe, ſparſitq; coloribus alas.

Pidites, πιδύτης, Vir fuit Percoſius ab Vlyſſe, ut ait Homerus Iliad. 7. in bello Trojano interemptus.

Piĕrĭă, æ, πιερία, Regio in Finibus Macedoniæ, inter Axium & Aliacmonē fluvios, quam Macedones pulſis indigenis occuparunt. Vide Plin. lib. 4. cap. 12, & Strabonem lib. 10. ¶ Hinc Pierides Muſæ, quòd in Pieria ex Iove & Mnemoſyne natæ ſint, ut inquit Strabo. ¶ Eſt item Pieria Syriæ Antiochenæ urbs celeberrima, alio nominę Seleucia dicta. Autor Plin. lib. 5. capite 21.

Piĕres, pen. corr. πιερες, Populi olim Macedoniæ finitimi inter Axium, & Aliacmonem amnes, quibus pulſis Macedones loca eorum occuparunt. Horum meminit Plin. lib. 4. cap. 10. & Strabo lib. 10.

Piĕrĭŭs, ria, rium, πιέριος, ut Pierium carmen, Lucretius lib. 1. Chorus Pierius, Ovidius ad Piſonem. Dies Pierii, quos impēdimus literarū ſtudiis, Stat. 1. Syl. Via Pieria. Ovid. 2. de Pont. Lucida Pieria tendis in aſtra via.

Piĕrŭs, ri, pen. corr. πίερος, Mons Theſſaliæ poſt Pheras, atq; in Macedoniam uſq; protentus, teſte Plin. lib. 4. cap. 8. In hoc monte quidam Muſas natas volunt, atq; inde Pieridas eſſe appellatas. ¶ Fuit & Pierus, πίερος, Macedo quidam prædives, qui ex Evippe uxore novem ſuſcepit filias: quæ Muſas ad certamen cantus provocare auſæ, & ab illis ſuperatæ, in totidem

picæ

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg